tantes a decimoſexto anno ſupra usque ad ſeptuageſimum, intra quindecim dies poſtquam juratum habuero: exceptis ſervis: & qui per me jurare noluerint, intra tertiam diem imperatori, vel regi, vel ſuis nuntiis manifeſtabo per breve. Milleſimo centeſimo octogeſimo tertio, indictione prima. Ego juro omnibus civitatibus ſocietatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ, & locis, & domino Opizoni Marchioni Malaſpinæ, & omnibus perſonis prædictæ ſocietatis, conceſſiones & permiſſiones atque pacta, ſicut in ſcripto pacis inter nuntios domini imperatoris, & rectores & nuntios civitatum ſocietatis Lombardiæ facto continetur, firmas tenere: nec ero in conſilio vel facto ubi aliquid prædictorum minuatur alicui de ſocietate: & ſi qua perſona, aut civitas, vel locus alicui civitati, vel loco, aut perſonæ prædictæ ſocietatis, aut jam dicto Marchioni auferre vel deminuere voluerit, eos vel eas manutenere, & defendere bona fide ſine fraude contra omnes adjuvabo: & omnia præcepta quæ rectores concorditer omnes, vel major pars mihi fecerint ſine fraude obſervabo: & omnia ſupradicta, attendam a Kalendis Majis usque ad triginta annos: & in capite uniuscujusque quinquennii, ſcilicet ſi per majorem partem rectorum requiſitus fuero, renovabo: & hoc totum ſine fraude jurare omnes homines meæ civitatis a decimo octavo anno usque ad ſeptuageſimum faciam, & hæc omnia faciam jurare conſules vel poteſtates meæ civitatis, & credentias [1] usque ad illum terminum, qui mihi conſtitutus fuerit per rectores Lombardiæ & Marchiæ, & Romaniæ, in hoc eloquio.

DIE Lunæ undecimo Kalendas Januarii in Placentia, in eccleſia ſanctæ Brigidæ, in præſentia Mirabelli, Gulielmi, Garonii notarii, ibique in eorum præſentia rectores Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniæ fecerunt prædictum ſacramentum: nomina quorum ſunt hæc: De Brixia Aldericus de Salla. De Verona Vozo judex. De Bononia Prendeparte poteſtas. De Padua Bazotus. De Novaria Rogerius Marcellinus poteſtas. De Terviſio Oldericus de Montelio. De Mantua Gulielmus de Azo. De Placentia Bonizo judex. De Pergamo Albertus de Oſſa poteſtas. De plebe de Granatina Petrus Collus judex. De Faventia Gulielmus Butinus poteſtas. De Mediolano Petrus vicecomes.

HÆC ſunt nomina eorum qui juraverunt, ut [2] ſuperius legitur, ut dicti rectores juraverunt, eo excepto, quod non fuerunt diſtricti facere jurare homines ſuæ civitatis. De Brixia, Deſiderius judex, Martinus de Pontenalupis, Pax Confalonerius. De Padua, Ganiphus Achalaone. De Verona, cancellarius Greſcenonum, & Vivianus advocatorum. De Terviſio, Traviſius de Gualperto. De Pergamo, Lanfrancus. De Monancha, Oprandus judex, Joannes de Petengo. De Novaria, Fridericus de Bon. Michaël Capra. De Mutina, Rolandus de Baimonte. De Garino, Bunalellus de Garbonenſibus. De plebe de Granatoria Gregorius conſul ita juravit, ſuus rector. De Faventia, Anteus judex: anno a nativitate Domini milleſimo centeſimo octuageſimo, indictione prima: & poſtea ſequenti die Martis 12. Kalend. Januarii Armanus de Parma rector idem ſacramentum fecit, ut pridem rectores: & Albertus de Theobaldo ſimiliter.

1 Credentiam adverſus juramentum revelans officialis, officio ſuo privandus eſt. adde 2. *feud.* 7.

2 Tabellio ſi perſcriptis quorundam teſtium nominibus, ſequentes *eodem modo teſtimonium dixiſſe* perſcripſerit, non perit autoritas ejus teſtimonii: quaſi dictum ac perlatum ſit ab his, qui præmeditatum inter ſe ſermonem habuerant. Quippe quod de præmeditato teſtium ſermone dicitur, *l.* 2. §. 1. *ff. de teſtib.* ad eos qui ſuſpecti ſunt pertinet, non ad eos qui vitæ ſunt honeſtæ.

F I N I S.

FRAGMENTA JURISPRUDENTIÆ ANTE-JUSTINIANEÆ,

QUÆ

LEGES XII. TABB.

EX VETERUM MONUMENTIS DECERPTAS,

TITULOS EX CORPORE ULPIANI XXIX.

JULII PAULI RECEPTARUM SENTENTIARUM AD FILIUM LIBROS V.

CAJI INSTITUTIONUM DUOS LIBROS,

CUM NOTIS

DIONYS. GOTHOFREDI, JAC. CUJACII

ALIORUMQUE JURISCONSULTORUM

AD RECENTIORES EDITIONES REVISOS

EMENDATE EXHIBENT.

INDEX TITULORUM QUI IN FRAGMENTIS DUODECIM TABULARUM CONTINENTUR.

Numerus hic eſt paginarum.

A.
De Accuſationibus. 764
Adulteriis. 764
Ædilibus. 754
Arborum furtim cæſarum. 762
Auguribus & Aruſpicibus. 752
Auſpiciis, & Autoritate Senatus. 755
C.
De Captivis. 764
Cenſoribus. 754
Colendi qui, ubi, quo tempore, quibus hoſtiis. 751
Collegiis illicitis. 764
Confeſſis in jure. 758
Contrahenda emptione & venditione. 758
Convitiis & famoſis libellis. 764
Craſſitudine parietis communis. 758
Cultu divino. 751
Curatoribus & de curatore furioſi prodigi. 760
D.
De Damno dato. 758
Decemviris litium. 754
Dictatore, & magiſtro equitum. 755
Dilationibus & earum cauſis. 757
Donationibus inter virum & uxorem. 759
E.
De Emancipato. 760. & emancipatione. 759
Eo qui in utero. 761
Etruſcis & Aruſpicibus. 752
Expiationibus. 752
Extraordinariis criminibus. 764
F.
De Falſis. 760. Falſis vindiciis. 764
Familiæ erciſcundæ. 758
Fecialibus. 752
Finium regundorum & de ſervitutib. 758
Flaminibus. 752
Furto per lancem & licium concepto. 763
De Glande legenda. 762
H.
De Hereditariis actionibus. 762
Hereditatibus, quæ ab inteſtato. 760
His, qui ſunt ſui. 756
I.
De Impietate in Deo. 753
Inceſtu. 753
Incendio. 763
Interſtitiis. 758
Injuriis. 763
Interdicto uti poſſidetis. 762
Judiciis. 757
Judicio ſiſti. 757
Jure Populi & Senatus. 756
Jurejurando. 757
Jurgio & fribuſculo inter virum & uxorem. 759
L.
De Legatis. 760
Lege Julia repetundarum & corrupto judice. 764
Legibus. 756
Legitima agnatorum & cognatorum ſucceſſione. 761. Fœminarum tutela. Patronorum. 760
Legitimis tutoribus & de legitima agnatorum tutela. 760
Liberis matri ſuccedentibus. 761
Liberto emancipato. 761
Ludis. 752
M.
De Magiſtratibus majoribus in genere. 754
Militaribus. 754
Maleficiis. 764
Majeſtatis crimine. 764
Membro aut oſſe fracto & talione. 764
rupto. 758
Monopoliis. 759
Muliere uſucapta & uſurpata. 763
N.
De Nepotibus ex filio præmortuo. 761
Nexu. 759
Noxalibus actionibus. 758
Nuptiis. 759
O.
De Officio Prætoris. 755
Officio Conſulis. 755
P.
De Pactis. 757
Parricidio. 764
Paſtu pecoris. 763
Paſtu ſectioneque frugum. 763
Patrona. 761
Pellice. 764
Perjurio. 753
Pignoribus. 759
Plus petitionibus. 757
Pœnis. 764
Pontificibus. 752
Poſſeſſionibus. 762
Prævaricatione patroni adverſus clientem. 764
Privatis delictis & de furto. 763
Publicis judiciis. 756
Q.
De Quæſtoribus 754. parricidii. 754
Qui ſatisdare cogantur. 758
Quinque pedum præſcriptione. 758
R.
De Rebus. 756
Receptis arbitris. 757
Religioſis & ſumptibus funerum. 759
Re militari. 755
Repudiis & divortiis. 759
Reo fugiente. 757
Ritibus. 753
S.
De Sacerdotibus. 752
Sacerdotum officio. 752
De Sacrilegio. 753
Sacris nocturnis 752. privatis. 753
Sarptis vineis. 763
Secundis nuptiis. 759
Senatoribus & Senatusconſultis. 755
Servitutibus. 758
Sicariis. 764
Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. 758
Statu hominum. 756
Succeſſionibus quæ fiebant per bonorum venditionem. 761
Succeſſione libertorum. 762
Suffragiis & creatione magiſtratuum 756
Suis & legitimis heredibus & de liberis in poteſtate poſitis. 760
Suſpectis tutoribus. 760
T.
De Tempore judicati faciendi. 758
Termino moto. 764
Teſtamentis & libera teſtandi facultate. 763
Teſtamentaria tutela. 759
Teſtibus, eorumque citatione & denunciatione. 757
Tigno juncto. 763
Traditione. 758
Tribunis plebis. 755
Triumviris capitalib. 754. monet. 754
Tutelæ actione, in duplum. 760
Tutoribus & curatoribus. 759
V.
De Veneficiis. 764
Veſtalibus. 752
Veſtibulo ſepulchri. 763
Viarum latitudine. 758
Votis. 753
Uſucapionibus. 762
Uſuris. 759
Uſurpata muliere. 763

INDEX TITULORUM TAM INSTITUTIONUM ULPIANI, ET JULII PAULI RECEPTARUM SENTENTIARUM, QUAM GAJI, ORDINE ALPHABETICO.

Numerus in Ulpiano titulum; in Gajo & Paulo autem prior librum, poſterior titulum demonſtrat.

A.
De Actoribus. Paul. 5. 18
Abolitionibus. Paul. 5. 17
Adoptionibus. Ulp. 8. Gaj. 1. 5
Adulteriis. Paul. 2. 26
B.
De Bonis libertorum. Ulp. 29. Paul. 3. 2
C.
De Caducis. Ulp. 17
Calumniatoribus. Paul. 1. 5
Carboniano edicto. Paul. 3. 1
Cautionibus & pœnis appellat. Paul. 5. 33
Cœlibe, Orbo, & ſolitario patre. Ulp. 13
Cognitoribus. Paul. 1. 2
Commodato & depoſito pignore. Paul. 2. 4
Concubinis. Paul. 2. 20
Contractibus. Paul. 2. 3
Contrahenda autoritate. Paul. 5. 10
Curatoribus. Ulp. 12. Gaj. 1. 8
D.
De Decimis. Ulp. 15
Delatoribus. Paul. 5. 13
Depoſito. Paul. 2. 12
Dimiſſoriis litteris. Paul. 5. 34
Dolo malo. Paul. 1. 8
Dominiis & acquiſit. rer. Ulp. 19
Donationibus. Paul. 5. 11
Donat. inter vir. & uxor. Ulp. 7. Paul. 2. 23
Dotibus. Ulp. 6. Paul. 2. 21
E.
De Effectu, Sentent. & fin. litium. Paul. 5. 5
Empto & Vendito. Paul. 2. 17
Excuſationibus tutor. Paul. 2. 27
Exercitoribus. Paul. 2. 6
Exheredatione liberorum. Gaji 2. 3
F.
De Familiæ erciſcundæ. Paul. 1. 18
Fideicommiſſ. Ulp. 25. Gaj. 2. 7. Paul. 4. 1
Fideicommiſſ. libert. Paul. 4. 13
Fidejuſſore & ſponſore. Paul. 1. 20
Finium regundorum. Paul. 1. 16
Furtis. Paul. 2. 31
G.
De Gradibus. Paul. 4. 11
H.
De His quæ per turbam fiunt. Paul. 5. 3
qui in manu ſunt. Ulp. 9
qui in poteſtate ſunt. Ulp. 5
qui ſunt juris ſui. Ulp. 4
I.
De Incendiariis. Paul. 5. 20
Injuriis. Paul. 5. 4
In Integr. reſtitut. Paul. 1. 7
Inofficioſi querela. Paul. 4. 5
In rem verſo. Paul. 2. 9
Inſtitoribus. Paul. 2. 8
Interdictis hereditatibus. Gaj. 2. 8. Paul. 5. 6
Inteſtator. Succeſſione. Paul. 4. 8
Judiciis omnibus. Paul. 1. 12
Judicato. Paul. 1. 13
Jure donationum, inter Vir. & Uxor. Ulp. 7. Paul. 2. 23
Jure fiſci & populi. Paul. 5. 12
perſonarum. Gaj. 2. 8
L.
De Latinis. Ulp. 3
Legatis. Ulp. 24. Gaji 25. Paul. 3. 6
Legibus & moribus, & libertis. Ulp. 1
Legitimis heredibus. Ulp. 26
Lege Commiſſoria. Paul. 2. 13
Ad Legem Corn. de ſicariis & veneficis. Paul. 5. 23
Legem Corneliam teſtamentariam. Paul. 5. 25
De Lege Cornelia. Paul. 4. 7
Lege Fabiana. Paul. 3. 3
Ad Legem Falcidiam. Gaj. 2. 6. Paul. 3. 8
Legem Fuſiam Caniniam. Paul. 4. 14
Legem Juliam ambitus. Paul. 5. 30
Legem Juliam majeſtatis. Paul. 5. 29
De Lege Julia peculatus. Paul. 5. 27
Ad Legem Juliam Repetundarum. Paul. 5. 28
Leg. Jul. de vi pub. & privat. Paul. 5. 26
Legem Pompeiam de Parricidiis. Paul. 5. 24
Legem Rhodiam. Paul. 2. 7
De Liberis agnoſcendis. Paul. 2. 24
Liberali cauſa. Paul. 5. 1
Libertatibus ſervorum. Gaji 1. 1
De Libertorum ſucceſſionibus vel bonis. Ulp. 27
Locato & conducto. Paul. 2. 18
M.
De Mandatis. Paul. 2. 15
Matrimoniis. Gaji 1. 4
Manumiſſionibus. Paul. 4. 12
Meritis appellationum. Paul. 5. 37
Minoribus xxv. annorum. Paul. 1. 9
Mortis cauſa donationibus. Paul. 3. 7
N.
De Negotiis geſtis. Paul. 1. 4
Novationibus. Paul. 5. 8
Numero ſervorum teſtamento manumittendorum. Gaji 1. 2
Nuptiis. Paul. 2. 19
O.
De Obligationibus. Gaji 2. 9. Paul. 5. 7
Operis libertorum. Paul. 2. 32
Oratione divi Severi. Paul. 2. 30
P.
De Pactis & conventionibus. Paul. 1. 1
Pactis inter virum & uxorem. Paul. 2. 22
Pœna legis Juliæ. Ulp. 14
Pœnis militum. Paul. 5. 31
Pecunia conſtituta. Paul. 2. 2
Pignoribus. Paul. 2. 5
Plus petendo. Paul. 1. 10
Potioribus nominandis. Paul. 2. 28
Procuratoribus. Paul. 1. 3
Poſt provocationem quid obſervandum ſit. Paul. 5. 36
Poſſeſſionibus dandis. Ulp. 28
Q.
Quando appellandum ſit. Paul. 5. 32
Quemadmodum actiones per inficiationem duplentur. Paul. 1. 19
Quemadmodum filii ſui juris efficiuntur. Paul. 2. 25
Quemadmodum heres inſtitui debeat. Ulp. 21
Quemadmodum teſtamenta rumpuntur. Ulp. 23
De Quæſtionibus. Paul. 5. 14
Qui habeant jus antiquum in caducis. Ulp. 18
Qui heredes inſtitui poſſunt. Ulp. 22
Qui potior nominari non poſſit. Paul. 2. 29
Qui in poteſtate mancipiove ſunt, quemadmodum ex jure liberentur. Ulp. 10
Quibus modis filii exeunt de poteſtate Patris. Gaji 1. 6
obligatio tollatur. Gaji 2. 10
R.
De Rebus creditis & jurejurando. Paul. 2. 1 Gaji 2. 1
Reddendis cauſis appellationum. Paul. 5. 35
Reis inſtitutis. Paul. 1. 6
Repudianda hereditate. Paul. 4. 4
S.
De Sacrilegis. Paul. 5. 19
Satiſdando. Paul. 1. 11
Seditioſis. Paul. 5. 22
Sepulchris & lugendis. Paul. 1. 21
Servitutibus. Paul. 1. 17
Servorum quæſtionibus. Paul. 5. 16
Stipulationibus. Paul. 5. 9
Si quadrupes damnum intulerit. Paul. 1. 15
De Solidi capacitate inter virum & uxorem. Ulp. 16
Pro Socio. Paul. 2. 16
De S. C. Macedoniano. Paul. 2. 10
Ad S. C. Orphitianum. Paul. 4. 10
De S. C. Pegaſiano. Paul. 4. 3
S. C. Silaniano. Paul. 3. 5
S. C. Trebelliano. Paul. 4. 2
Ad S. C. Tertyllianum. Paul. 4. 9
S. C. Velleianum. Paul. 2. 11
De ſtatuliberis. Ulp. 2
Subſtitutionibus & de faciendis tabulis. Gaji 2. 4
T.
De Teſtamentis. Ulp. 20. Gaji 2. 2. Paul. 3. 4
Teſtibus. Paul. 5. 15
Tutelis. Gaji 1. 7. Ulp. 11
V.
De Vaticinatoribus & mathematicis. Paul. 5. 21
Viceſima. Paul. 4. 6
Via publica. Paul. 1. 14
Uſucapione. Paul. 5. 2
Uſuris. Paul. 2. 14

DUODECIM

DUODECIM TABULARUM FRAGMENTA.

LIBER PRIMUS [1].

De cultu divino.

AD divos adeunto caſte [2], pietatem adhibento. opes [3] amovento. Qui ſecus faxit, Deus [4] ipſe vindex [5] erit.

Qui colendi.

Separatim nemo habeſſit [6] deos neve novos [7]: ſed ne advenas [8], niſi publice adſcitos [9], privatim colunto.

Ubi colendi.

Conſtructa a patribus delubra [10] habento. lucos [11] in agris habento, & larum [12] ſedes. ritus [13] familiæ [14], patrumque [15] ſervanto.

Qui colendi.

Divos, & eos qui cœleſtes ſemper habiti, colunto, & ollos [16], quos in cœlum merita [17] vocaverunt, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum, aſt [18] olla, propter quæ datur homini adſcenſus in cœlum, Mentem [19], Virtutem [20], Pietatem, Fidem [21], earumque laudum delubra ſunto. Nec ulla vitiorum [22] ſacra ſolemnia obeunto.

Quo tempore colendi.

Feriis [23] jurgia [24] amovento: easque in famulis, operibus patratis [25], habento. itaque, ut ita cadat in annuis amfractibus [26], deſcriptum eſto. certasque fruges, certasque baccas ſacerdotes publice libanto: hoc certis ſacrificiis, ac diebus [27]. Itemque alios addes [28], ubertatem lactis, fœtusque ſervanto. Idque ne committi poſſit, ad eam rem, & rationem, curſus annuos ſacerdotes finiunto.

Quibus hoſtiis colendi.

Quæque quoque [29] divo decoræ, gratæque ſint hoſtiæ, providento.

1 Quæ leges hoc priore libro continentur, ex Ciceronis libris de legibus decerptæ, vere duodecim tabularum non ſunt, ſed a Cicerone partim inventæ, partim ex ipſis legibus duodecim interpolatæ, idque Tullius ipſe *libro* 3. *de legibus* minime diffitetur. Non recognoſcimus, inquit, nunc leges P. Romani, ſed aut repetimus ereptas, aut novas ſcribimus. Fecit itaque mixtura veterum legum, rerumque ipſarum utilitas, ut eas lectori proponerem, non tam ut eas cognoſceret, quam ne ignoraret. 2 Animo & corpore. 3 Id eſt, ſumptum. 4 Nedum homo, & his quidem verbis, præſentis pœnæ metu reliqua confirmari videntur. 5 *l.* 2. *C. de rebus creditis & jurejur.* 6 Id eſt, habeat. 7 Vide Paulum 5. *ſentent.* 21. §. 2. 8 His verbis tollit confuſionem religionum & ceremoniarum, Cicero. Diu certe hoc Romæ ſervatum non fuit. Teſtis erit dea Peſſinuntia, quæ & mater Deum, Phrygia advecta non ſine magnis miraculis. Herodianus 1. 18. Plin. 3. 9 Tertullianus 5. *Apologet. Vetus*, inquit, *erat decretum, ne quis Deus ab imperatore conſecraretur, niſi a Senatu probaretur.* & poſt, *apud vos de humano arbitratu divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit.* & poſt, *Tiberius nonne Chriſtum detulerat ad ſenatum, cum prærogativa ſuffragii ſui? Senatus, quia ipſe non probaverat, reſpuit:* Euſebius 2. *hiſtor.* 2. id ea de cauſa factum fuiſſe refert, quod ſalutaris prædicatio, nulla opus habeat humana approbatione. 10 *Fronto*, delubrum dici putat, quo homines pericula ſua diluunt. Ponebant enim vel pileum vel ſcutum, vel alia ſuſceptis votis. Iſidorus 5. *c.* 8. delubra a diluendo dici putat, eaque eſſe templa fontes habentia, quibus ante ingreſſum diluebantur. Templum ædificium Deo conſecratum, *Feſtus:* in loco augurato, *Fronto:* ſingulorum diis attributorum locorum, *Aſconius:* a contemplatione. Iſidorus *d. loco*, ſeu tuendo qua tuimur, id eſt, ſpectamus. Varro 6. *de Ling.* Fanum a Fauno, *Fronto:* ſive a fando, quod dum pontifex dedicat, certa verba fatur, *Feſtus:* unde fata petuntur. *Aſconius.* Sacellum, parvulum ædificium diis conſecratum, *Fronto:* Teſcua, ſeu Teſca, loca quidem anguſta diis dicata: quod ibi myſteria fiant ac tueantur. Varro 6. *de lingua.* 11 Locus eſt arborum ſpiſſitate tectus: vel locus fulmine ictus, *Fronto.* 12 Larum diverſæ ſententiæ fuerunt. Vulgus lares vocabat, viarum atque itinerum deos, ex eo quod Græci vicos cognominant lauras. Arnob. 3. alii, quaſi aërios deos & heroas. Arnob. *d. loco.* Varro, Manes interpretatur: quorum mater, Arnob. *d. loco.* vel avia, Mania fuerit: vel ut Lactantius 1. *c.* 20. ſcribit, Muta ſeu Larunda & Lara, Feſtus *in voce Maniæ turpes: larvæ.* Manias nutrices minitabantur pueris parvulis, Feſtus *d. loco.* Idem, *in Pilæ.* Lares, animas hominum redactas in numerum deorum interpretatur ut minus proprie is, *Act.* 12. *verſ.* 15. ἄγγελον reddiderit, qui genium vertit, cum nuntium a Petro fidelem potuerit intelligere. Eidem Feſto *in voce Pilæ*, Lares dii inferi: quibus tot pilæ, quot capita: tot effigies, quot eſſent liberi, ponebantur, ut vivis parcerent, & eſſent his pilis & ſimulachris contenti. Ut rem omnem finiam, Lares domuum cuſtodes hic intellige, *ut ſupr.* non penates, (id eſt, Neptunum & Apollinem, qui urbem Ilium muro cinxerunt. Arnob. 3.) Lares iidem, qui genii, Genius ſeu lateranus, focorum (qui ex laterculis ſæpe fiunt) Deus. Arnob. 4. De lare familiari vide Plautum *in Aulularia.* 13 Feſtus *in voce ritus.* Ritus, mos comprobatus in adminiſtrandis ſacrificiis. Varro 6. *de lingua.* ritu, id eſt, inſtituto. ut cum Haruſpex præcipit, ut ſuo quisque ritu ſacrificium faciat: & nos dicimus XII. (alii legunt XV.) viros Græco ritu ſacra, non Romano facere, hæc Varro. 14 Ritus familiæ, ſacra gentilitia. 15 Vetus & antiquum fuit, patrum ceremonias cuſtodire. Tertull. *c.* 5. *adverſus gentes. Laudatis ſemper antiquitatem & nove de die vivitis.* & poſt: *Videmini fideliſſime tueri a patribus traditum ſtudium deorum colendorum, de quo maxime erravit antiquitas.* Eſt igitur juſta de cauſa a patrum falſis opinionibus diſcedendum. *Ierem.* 8. 16. *Ezech.* 20. *Novell.* 15. Et recte Pythius, Athenienſibus quærentibus quem morem majorum potiſſimum ſequerentur ex variis, reſpondit: ut optimum ſequerentur. ut ſit id habendum antiquiſſimum & Deo proximum, quod ſit optimum. Cicer. 2. *de legibus.* 16 Id eſt, illos. 17 Dii gentilium meritis fiebant, ut Hercules, Liber, Æſculapius &c. Merita in eorum muneribus & officiis perſpiciuntur. Arnob. 4. Illud quod ſequitur, quale eſt, quod deos vobis inducitis fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, cithariſtas, aulædos, venatores, paſtores, ruſticos? Et ille Muſicus Deus eſt, & hic alter divinus eſt, obſtetricis ille informatus artibus, medicorum alius eſt inſtitutus diſciplinis; hic in ſermone facundus eſt, bardi ſunt alii. Hinc, Venus Libentina, & Liburnus libidinis ardorem incitat. Domiducus adeſt nuptæ, cum in domum mariti deducitur: Virginenſis, cum virgini zona ſolvitur. (Arnobius 3. Cinxiam appellat.) Subigus & dea Prema, ut virgo ſubigatur & comprimatur. Auguſt. *de civit.* 9. Perſica voluptatem ſeu voluptatis prælium (*ut* Arnobius *ait lib.* 3.) cum dulcedine procedere perficit. Pertunda (Auguſtinus Partundam appellat *d. loco.*) ſcrobem virginalem defodientibus maritis adeſt. Arnob. 4. Viriplaca, cujus interventu viri placabantur. 2. Valer. 1. Alemona, partum alit in utero. Partula, partum gubernat. Lucina, producit in lucem. Tertull. 19. *de anima.* Poſtvertam & Protam deprecabantur, ut rectus ac non perverſus partus eſſet. 16. Gell. 16. Oſſilago, oſſium ſolidatrix, Arnob. 4. Cunina, quæ infantes in cunis tuetur. 1. Lactant. 20. Rumina, lactantes pueros tuetur. Eſt enim Ruma, mamma, unde ſubrumi agni. Utrique, Cuninæ & Ruminæ lacte fiebat, non vino. Nonius *in Ruma.* Nodutis, & Nodoturenſis, nodos producit ad res ſatas & fruges. Limentinus a liminibus, Cardea a cardinibus, Forculus a foribus. Tertull. *lib. de Idololatria.* Limus, obliquitatibus, Montinus, montibus: Nemeſtrinus, nemoribus: Puta, putationi arborum: Peta, petendis: Patela, patefaciendis: Patelata, patefactis rebus: Vibilia, erroribus viarum: Mellonica, mellis dulcedini: Orbana (hujus etiam meminit Plin. 2. *c.* 7.) orbatis præeſt. Pecunia. Arnob. *ibid.* Æſculanus & filius ejus Argentinus æs & argentum largiuntur. Auguſt. 4. *de civit.* 21. Murcia ſegnium deus. Arnob. 4. Auguſt. 4. *de civit.* 6. forte quia Murci bellorum refugæ, dixi ad *l.* 4. §. 12. *ff. de re milit.* Agenoria, Stimula, Strenua, Quies. Auguſt. *d. loco.* adde Auguſt. 4. *de civit.* 20. 21. Portunus, in portum tendentibus: Conſus, conſiliis: Flora, floribus, præeſt: Juno, juvat partum: Unctia, unctionibus. Victa, victui: Potua, potui. Arnob. 3. Educam & Potinam appellat. Auguſt. *de civitate* 9. Nonius vero *in Eduſa* Eduſam & Potinam, cum priore, inquit, cibo & potione initiarent pueros, ſacrificant, ab edulibus Eduſæ, & a potione, Potinnæ nutrices. Feſſonia, feſſis. Auguſt. 4. *de civit.* 21. Omitto Præſtanam, Pandam, Panticam, Pelloniam. Arnob. *d. loco.* pellendis hoſtibus. Auguſt. 4. *de civit.* 21. Arnob. 2. Fornacem deam, Cacam, Sterculum, qui ſtercorandi rationem primus induxit. Terminum lapidem informem. 1. Lactant. 20. Fluvioniam, Pomonam, Offipaginam, Februtim, Populoniam, Caprotinam, Pales pecorum, Inuus paſtorum deus. Rubigo (unde Robigalia) ne rubigo ſegetes occupet. Spinienſis, ne ſpinæ. Auguſt. 4. *de civit.* 21. Nocturninus nocti. Plaut. *in Amphit.* Hieronym. *adverſus Vigilantium:* Martianus Capella *de nuptiis:* Vulcanus, igni: Pythius, divinationibus: Æſculapius, morbis præeſt: Minerva dea memoriæ, quaſi Meminerva. Neptunus, ita dictus quod terram nubat, id eſt, cooperiat. Mercurius, quaſi medicurius, & media currens via: Ceres, quod gerat frumenta. Novenſiles dii, id eſt, novem muſæ: Penates, qui in intimis penetralibus cœli; qui & Conſentes & Complices, quod ſimul oriantur & occidant. Trebiani, everſores urbium. Summani, ſummi dii. Arnob. 3. minores qui & Semones, quaſi Semi hemones, Varro *apud Fulgent.* Grundules lares, Lucrii, Aii, Locutii. Arnob. 1. Parcæ, nemini parcentes: Manes, id eſt, immanes: Lamiæ, quaſi Laniæ, 8. Iſidor. *ult.* Patellarii, Medioxumi, Ollares. Sed jam cohibeo me, plenius aliquando de his dicturus. Vide interim Auguſtini *libros de civitate Dei* 5. 18 Ex hoc loco ſatis conſtat, cultum diis tribui, quos merita in cœlum vocarunt: delubra vero his propter quæ datur adſcenſus in cœlum. 19 Lactantius 1. *c.* 2. Mentem inter deos collocavit ſenatus, quam profecto ſi habuiſſet, ejusmodi ſacra nunquam ſuſcepiſſet. Plin. 1. *c.* 7. Innumeros credidere, atque etiam ex virtutibus vitiisque hominum, ut Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam, Fidem, Pœnam & beneficium. 20 Plinius *d. loco:* Lactantius *d. loco.* Si vitia conſecranda non ſunt, ne virtutes quidem. Nec enim per ſe ſapiunt, aut ſentiunt: neque inter parietes aut ædiculas luto factas, ſed inter pectus collocandæ ſunt & interius comprehendendæ, ne ſint falſæ, ſi extra hominem fuerint. 21 Plinius *d. loco.* 22 Meretrices tamen coluerunt Romani, Accam Laurentiam (quæ & Lupa) & Faulam, Herculis ſcortum, teſte Verrio *apud Lactantium* 1. *cap.* 20. & Lavernam, deam furum. vide Feſtum *in voce Lavernio-nes.* Plautus *in Cornicularia*, *Mihi Laverna in furtis celebraſſis manus.* Horatius, *Pulchra Laverna, da mihi fallere.* Ea diva, caput erat ſine reliquo corpore. vid. Joſeph. Scalig. *apud Feſtum d. loco:* Bellonam, diſcordias, furias. Arnob. 3. ſic apud Athenienſes Contumeliæ fanum fuit & Impudentiæ. (Cicero *hic.*) Coluerunt etiam Gentiles interdum bruta. 2. Plin. 7. Arnob. 4. Templa felibus, ſcarabæis & buculis ſublime ſunt elata faſtigiis. Quale autem illud fuit quod de Mutino legimus? Lactantius, Et Mutinus, in cujus ſinu pudendo nubentes præſident, id eſt, inequitant, ut illarum pudicitiam prior deus delibaſſe videatur. 1. *c.* 20. Arnob. 4. Feſtus *in voce Mutinus*, Auguſt. 4. *de civit.* 11. & 6. *de civit.* 9. Febrim etiam coluerunt, Malam Fortunam. Plin. *ibid.* Pavorem & Pallorem Tullus Hoſtilius figuravit & coluit. Cloacinæ ſimulachrum, in cloaca maxima repertum Tatius conſecravit. 1. Lactant. 20. Matrimonia inter deos etiam crediderunt: ut & alios canos, alios juvenes, pueros, claudos, ovo editos, alternis diebus viventes morientesque, adulteria inter ipſos fingebant, jurgia, odia, furta. Plin. *d. loco.* 23 Feria a feriendis victimis appellata, Feſtus *in voce Feria.* Antiqui ferias feſtas dicebant, Idem *ibid.* Harum aliæ, Sementinæ, paganicæ, conceptivæ. Varro 5. *de lingua:* Feſtus *in conceptivæ.* Præcidaneæ. 4. *Gell.* 6. *in fin.* publicæ, Latinæ. *l.* 2. §. 33. *ff. de orig. juris.* Varro 5. *de lingua:* denicales, quoties hominis mortui cauſa, familia purgabatur: νεκὺν enim Græci mortuum appellant. Feſtus *in Denicales*, æſtivæ. 9. Gell. 15. *in princ. l.* 7. *C. de feriis:* compitaliciæ. Feſtus *in conceptivæ:* vindemiales. 16. Gell. 4. *l.* 1. *in pr. & fine. l.* 4. *ff. de feriis:* imperiales. *l.* 4. *C. de feriis.* ſtatæ, quod certo ſtatutoque tempore obſervarentur, Feſtus *in voce Feriæ:* quæ fiunt ex more & conſuetudine. *l.* 7. *ff. de off. Proconſul.* quæ & ſolennes. *l.* 26. §. 7. *ff. ex quib. cauſ. major. l.* 3. *C. de dilationibus:* quibus opponuntur repentinæ. *d. l.* 3. extra ordinem indictæ. *d.* §. 7. Aliæ ſunt ſine Feſto, ut Nundinæ: aliæ cum Feſto, ut Saturnalia, quibus adjungebantur epulationes ex proventu fœtuque pecorum. Feſtus *in voce Feriæ:* aliæ ſine proprio vocabulo, aliæ cum vocabulo, ut Novendiales. Varro 5. *de lingua.* Stativæ, univerſi populi communes: Conceptivæ a magiſtratibus, vel ſacerdotibus: Conceptæ & Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia, Imperativæ a conſulibus, vel Prætoribus, (Hodie imperiales dicuntur, quod a principe indicantur. *l.* 4. *C. de feriis.*) pro eorum arbitrio indictæ. Nundinæ, ſunt pagorum & ruſticorum. Propriæ, familiarum: ut Claudiæ, Æmiliæ, Juliæ, Corneliæ. Singulorum, ut natalium, fulgurumque ſuſceptiones: item funerum atque expiationum. Apud veteres etiam qui nominaſſet Salutem, Semoniam, Sajam, Segetiam, Tutilianam, ferias obſervabat. Flaminica quoties tonitru audiſſet, ferias agebat, donec deos placaſſet. In indictis & conceptis feriis nefas erat quidquam agi: idque per præconem edicebatur; qui id neglexiſſet, multabatur, & porco piaculum dabat. Non tamen polluebantur feriæ, ſi quis quid egiſſet ad deos pertinens aut ſacrorum cauſa, aut ad urgentem vitæ utilitatem. Ideo non videbatur ferias polluiſſe, qui adhibitis operis bovem ſpecu liberaſſet, aut qui trabem tecti fractam fulſiſſet, quive ovem, ſcabiei cauſa, lavaſſet. Virg. *Georg.* 1. & breviter, Scævola conſultus quid feriis agi liceret, reſpondit, *quod prætermiſſum noceret.* Macrob. 1. *Satur.* 16. A feriis feriati dies. *l.* 6. *ff. de feriis.* Feriati gemini menſes. *l.* 5. *C. de feriis.* 24 Id eſt, lites. Jurgare, jure agere. Jurgare enim ab jure dictum, Varro 6. *de lingua.* 25 Id eſt, perfectis. Plautus *in Aſinaria.* ſi hoc patro. Saluſtius *in Catilin.* incepta patraviſſent. Tacitus 2. ſi patrandæ neci venenum immitteretur. Idem 4. *Maluit, patrati quam incepti facinoris reus eſſe.* adde 8. Quintilian. 3. 26 Amfractum ab origine flexum. Lex duodecim tabularum, Viæ latitudo, in amfractum ſexdecim pedes. Varro 6. *de lingua: lege* 8. *ff. de ſervitut. præd. ruſticor.* Eſt igitur hic amfractus, temporis revolutio. Annus enim ſtatis temporibus in ſe redit & revolvitur. 27 De diebus aliquid dicendum videtur. Dierum alii, inquit Varro 5. *de lingua*, deorum: alii hominum cauſa inſtituti. Illi, vel ſtatuti vel annales. Statuti ut Carmentalia, Lupercalia, Quirinalia, Feralia (quod diis inferis ad ſepulchra epulas deferrent) Terminalia (quod in extremis diebus anni, id eſt, Februarii, ſacra fierent) Equitia, ab equorum curſu: Liberalia in honorem Liberi patris: Megalenſia (in honorem magnæ Deæ) Fordicidia, a fordeis bobus: Carmentalia, Palilia, Cerealia, Vinalia (quæ alia erant a Vinalibus ruſticis, quæ fiebant ante duodecimum Kalend. Septembris) Veſtalia (vide Feſtum in voce *Penus*) Neptunalia, Furinalia, Portumnalia, Conſualia, Volcanalia, Vortumnalia, Fortunalia, Opalia, Angeronalia (alii legunt, Angenoralia) Accalia, ſeu Laurentalia, Opeconſiva, a diis & deabus ita dicta ſunt. Meditrinalia, quod eo die vinum vetus, & novum deguſtarent medicamenti cauſa: Fontinalia, quod eo die puteos coronarent, & in fontes coronas injicerent. Lupercalia. Varro 5. *de lingua:* Matralia, Varro 4. *de lingua:* Armiluſtrum, quod armati ſacra facerent: Tubiluſtrum, quod tubæ luſtrarentur in foro ſutorio. Nonæ Caprotinæ, dies Agonales, Quinquatrus, Sexatrus, Septimatrus, Quinquatrus minuſculæ, Fortis-Fortunæ, Populi fugia. Et hæc de ſtatutis diebus quæ in compitis peragebantur. Feſtus *in Compitalia.* Annales vero, ut Compitalia & Feriæ. Hominum cauſa dies inſtituti, Kalendæ, Nonæ, Idus, dies Feſti, Nefaſti, Comitiales, quibus in Comitio conveniebant. Feſtus *in Comitiales.* 28 Ad dies. Legendum puto, *illos ad dies:* niſi mavis ἀρχαϊκῶς *ollos ad dies.* 29 Id eſt, cui majoribus, cui lactantibus, cui maſculis, cui fœminis.

De